

INOR,

CA.





Ug 3. 14

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20



25 24
P O M P A
S P L E N D I D I S S I M I
I N V E T E R E M V R B E M
M A G D E B U R G A M
I N G R E S S V S .

I L L V S T R I S S I M I
P R I N C I P I S A C D . D . D .
I O A C H I M I F R I D E R I C I , P R I M A T V S G E R -
M A N I A E , E T A R C H I E P I S C O P A T V S M A G -
d e b u r g e n s i s A d m i n i s t r a t o r i s p o s t u l a t i & c . P r i n -
c i p i s c l e m e n t i s s i m i & c . C a r m i n e
d e s c r i p t a

à

M . I O H A N N E P O M A R I O
M A G D E B U R G E N S E . P . L .



M A G D E B U R G I A n d r e a s G h e n e e x c u d e b a t .
M . D . L X X I X .

24



Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

LE JURY
Faint, illegible text in the middle section of the page.

M. JOHANNES POMARIQ
MAGISTER VERGENSE P. L.



M. D. LXXIX
Faint, illegible text at the bottom of the page, possibly bleed-through.

24



ILLVSTRISSIMO PRIN-
CIPAC DOMINO, DOMINO IOACHIMO
FRIDERICI, Primatus Germaniæ, & Archiepiscopatus
Magdeburgensis Administratori postulato, &c. Mar-
chioni Brandeburgensi, Duci Pomeraniæ, &c.
Burggrauio Noribergensi &c. Principi
clementissimo.

REVERENDIS, ET GENE-
ROSA NOBILITATE, ERVDITIONE ET
autoritate clarissimis viris, Domino Decano, Seniori,
ac reliquis Ecclesiæ Cathedralis apud Magde-
burgenses Canonicis.

ET AMPLISSIMIS ET SPE-
CTATISSIMIS VIRIS, PATRICIA DIGNI-
tate, prudentia & sapientia præstantissimis, Dominis
Cofs. Senatoribus, & Tribunis plebis, veteris Ci-
uitatis Magdeburgensis vigilan-
tissimis.

Dominis suis quàm subiectissimè & officiosissi-
mè colendis. S. D.



A de nouo Princeps fortunæ munere, Maeste
Maestate noua, nominibusq; nouis.
Tota diocesis cui paruit ante ea, sed nunc
Vrbs etiam patriæ subiacet ampla meæ.

A ñ

Vosq;

Vosq̄ cathedralis quos iam capitolia sedis
 Suspiciunt, proceres nobilitate graues:
 Et vos quos penes est Madeburgæ cura vetustæ,
 Quorum stat monitis curia fulta bonis.
 Accipite extractos media ex incude labores,
 Et Musæ hoc paruum præcipitantis opus.
 Nam, modò præteritis, inter vos, inter & Urbem
 Hanc vestram, breuiter gesta diebus habet,
 Et memorat quo nam sint præstita homagia ritu,
 Atq̄ noua auspicijs fœdera pacta nouis.
 Hæc placido capias princeps precor optime vultu,
 Qui vis audiri patriæ, & esse pater.
 Vos etiam ô proceres animis quæso este fauentes,
 Conatumq̄ animi consulitote boni.
 Si tenue est carmen rebusq̄ ingentibus impar,
 Mens tamen imprimis inspicienda venit.
 Qua nil maius habet quod amet ter maximus, is qui
 Scrutatur renes imaḡq̄ corda Deus.
 Quam nisi quis donet, nihil est si cætera præster,
 Qui dedit hanc autem, cætera cuncta dedit.
 Vos igitur mentem mage quàm data munera dantis
 Respicite, & Musæ munus amate meæ.
 Felices habeant sic omnia munia fines,
 Et sint propicio singula salua Deo.
 Sospite quò Duce sit, populus quoq̄ sospes, & omnis
 Publica res faustum seruet alaq̄ statum.
 Quæq̄ sub augurio cœpere recentia dextro
 Fœdera, stent auibus continuata bonis,
 Viuite concordēs, Princeps, Capitolia, ciues,
 Fidaq̄ sint vobis pectora, fidus amor.
 Hæc precor, at precibus, Deus Optime Maxime, nostris
 Annue, & vt verè sint rata vota faue.

Illustris: Celsitud: & Dominat: V.

Subiectis:

M. Iohannes Pomarius P. L.
 ad D. Petrum Magdeburgæ
 Pastor.



DVm nouus insolito applausu ferit æthera clangor,
Principe Parthenopem pompis solennibus urbem
Ingrediente, grauem & secum ducente virum vim:
Musa faue, & quo nam sint tempore plæraq; & actu
Gesta, stylo excipias memori, chartæq; tenaci
Infige, atq; alijs eadem relegenda relinque.

Octobris postquam sexta & vicesima mensis
Lux aderat, sancto quæ consecratur Amando,
Splendidum adornabat Madeburgæ ad mœnia celsæ
Ingressum princeps, atavis Ioachimus auisq;
Clarus, amans pacis, pacis pia nomina seruans.
Iunior huic sese Dux Brunsvicensis eunti

IVLIVS adiunxit, simul his IOACHIMVS auitæ
Ascaniæ gentis princeps, quemq; inclyta iactat
Lunæburga ducem, quibus & vicinia sylvæ
Subiacet Hercyniæ comites, concordibus vnâ
Accessere animis, de hinc ordinis vndiq; equestris
Acciti proceres, qui vel mauortibus armis,
Consilio aut celebres, patriam tutantur & aulam,
Confluxere suis stipati vbicunq; ministris.

CVmq; propinquarent ad apertæ limina portæ,
Qua via laxa urbem partes velut axis in æquas
Findit, & Australem rectâ deducit ad arcem
Machina tum crepitans imitata tonitrua cœli,
Ter bona signa dabat, mortaria plenaq; flammis
Ardentes flabant bolidas, omnemq; globorum
Missilium horrifono complebant aëra bombo,

A iij

Non



Non secus ac tumidi cum secum murmurat alti
Impacata quies coeli, cum frigore fracto
Durat adhuc saeuitq; calor, variumq; per ortum
Fulgura terrificis penetrant caua nubila flammis.
Stabant à dextris splendentes ære phalanges
In gradibus quinis, quarum pars magna supremam,
Signiferis subiecta tribus, super aggere partem
Murorum & valli, fossæq; obsederat altæ.
Cætera tota cohors signis bis quinq; coactis,
Sclopum atq; æra tenens, partem quam diximus vrbis
Cingebat, rutilus adeoq; strepebat in armis,
Ac si adeunda forent mauortia prælia belli.
At latus oppositum populis spectantibus vnum
Cædebat, medio sed vbi via regia vico
Tota vacabat, equis longè vltra mille superbis,
Ibat eques multo stipante satellite Princeps,
Cuius ab extrema generosi parte Caballi,
Hærebant multi patria dudum ante fugati,
Qui postliminij ius quæsiuere negati.
Edebat streperos passim taratantara bombos,
Verùm alij rauco pulsabant murmure, ahenò
Subductas tauri exuuias, lituusq; remugiens,
In numerum resono complebat cuncta boatu.
Haud aliter phrygios quondam ac Mysene solebas,
Aere ciere viros, Martemq; accendere cantu.
Sic princeps recto noua per fora tramite, adibat
Ampla Cathedralis renouata palatia sedis.

Ponè



Ponè sequebatur niueis inuecta quadrigis,
Atq; gynæceo coniunx comitata venusto.
Iamq; suas ingressus erat Dux Inclytus ædes,
Protinus occurrebat ouans comitante Decanus
Confessu procerum, & Dominum saluere iubebat,
Cunctorumq; loco, quorum Capitolia nutu
Sunt moderanda, Ducem voto excipiebat amico,
Et se, fortunasq; suas, collegia, leges,
Eius tutelæ commendans, omnia salua
Optabat, meritum rursusq; vouebat honorem.
Idq; pari eximius præstabat honore Senatus
Parthenopes, nam dehinc facundo Syndicus ore
Pfeilius astant, cui postq; copia fandi
Facta fuit, paucis communi totius vrbis
Nomine, gratatur felicem principi in vrberem
Ingressum, exponitq; nouam vulgi atq; senatus
Læticiam, fausto quod sydere & omine, saluum
Conspicerent patriæ Dominum, patriæq; parentem,
Et porro exoptat, verbisq; precatur amicis,
Vt noua perpetuò durent rata fœdera nexu,
Saluaq; non solùm iura antq; indulta, sed vltra
Aucta sient, vrbs hæc quibus hæctenus vsa fuisset
Libera, Cæsaribus donantibus illa vetustis.
Pro quibus obsequium promptum atq; fidele deinceps,
Quicquid & imperij, & ratio quid iuris & æqui
Postulat, & meritos vrbs tota voueret honores.
Pronus ad hoc princeps (comite hæc orante) vicissim

Lata

Lata iubetposito sperare timore senatum,
Atq; fauere animis, & non diffidere, quin iam
Affectus patrios & in vrbis commoda pronos
Induerit, seq; ad seruandum foedera promptum,
Nec patriæ tantum Dominum iurantis amantem,
Sed defensorem, patriæ, patremq; futurum.
His dictis abeunt, mox iunctis ordine signis
Omnibus, adductæ, steterant qua parte, cateruæ,
Circumeunt cinguntq; omnem fulgentibus armis
Planiciem, quâ Mauritij sita splendida sancti
Templa, cathedralis quaq; est domus ardua sedis,
Conspectuq; Ducum tormenta corusca sub vno
Momento exonerant simul omnia, maximus vnde
It cœlo fragor, & reboant laquearia templi.
Aëris & linguæ ceu filia, sæpe remugit,
Vndiuomis habitans Echo resonabilis antris,
Cum vocem ingeminat prolataq; verba reportat.
Inde aliud veteris, signis volitantibus, vrbis
Accedunt complentq; forum, crepitanteq; rursus
Explodunt cannis lethales fulmine glandes.
Inq; globum se se agglomerant, noctisq; futura
Armatos statuunt vigiles, repetuntq; penates.
PRoxima ab Eois cum lux emergeret vndis,
Mauritij ingreditur princeps clarissimus ædem,
Doctus vbi præco verbi Prætorius almi,
Iussa Dei explanat, quo sit Benedictio ritu
Danda super populum, totidem quam deniq; verbis
Princi-



Principem ad illustrem IOACHIMVM, atq; eius auitam
Profapiem, ad summi pariter collegia templi,
Et tandem ad totam votis solennibus urbem
Applicat, exoptatq; Deo moderante salutem
Omnibus, & stabiles ad homagia mutua mentes.

TAlibus exactis procedunt ordine pulcro,
Illustres splendore duces, comitesq; fideles,
Atq; Dioecesis proceres, & multa virorum
Nobilium paria, inter quos Clarissimus ille
Conspiciendus equo Princeps IOACHIMVS in albo
Incedit medius, quem maiestate verenda
Observant reliqui, & nutu venerantur amico.

Qualiter illustrem reuerentur caetera phoebum
Sidera, cum medijs ceu Rexq; caputq; planetis
Ingrediens, radijs reliquos supereminet omnes.

Consilij domus est amplissima, curia vulgò
Dicta, fori ad commune latus, quod respicit ortum.

Hic duo contiguis extructa palatia fulcris
Conscendere duces, quosq; Illustrissimus ille
Saxoniae Elector fidei diplomate habendae
Legatos dederat, circum subsellia totus
Vertice nudato stabat cum plebe senatus.

Post ubi facta quies, in iure peritus utroq;
Lindmannus, sermone graui rem fusius omnem
Enumerat, qua Mauritio ratione sub ipso,
Post fratre Augusto, iurati foedera pacti
Praestiterit Madeburga vetus, quae hucusq; perenni

B

Constite.

Constiterint nexu, sed cum nunc Numine dextro,
Inter & Augustum, Ioachimūq; inter, & urbem
Hanc, noua iurandi sint condita vincula pacti,
Quò patrociniū titulum ille remittat, hic autem
Accipiat: sese vice mandatoq; seuro
Principis Augusti, iurata remittere pacta
Ciuiibus, atq; datæ laxare repagula dextræ,
Vt sic liberius præstentur homagia, quæ nunc
Acceptanda forent Ioachimo à principe, cuius
Tutelæ hanc urbem, leges, indulta, salutem,
Et libertatem tristi obsidione priorem,
Seruandam incolumem, defendendamq; decente
Traderet imperio, & committeret omine fausto.
Dixerat, acceptat communi hæc nomine Doctor
Pfeilius, & renouans primordia foederis icti,
Oblecrat exoratq; Ducem, vt munita sigillis
Seruentur rata pacta datis, immunia sintq;
Iura, nec indultis quicquam decedat auitis.
Sic in præsentī tota cum plebe senatum
Exertis promptum digitis iurare, deinceps
Ipsi perpetuò, ratione & iuris & æqui,
Se fore morigeros, fidosq; per omnia ciues.
Officij huic contra vice non indigna loquuto,
Continuò illustris sic Cancellarius aulae
(Consensu iussuq; Ducis vultuq; sereno)
Annuit, vt verbis promitteret omnia fidis,
Sponderetq; Ducem fore ad urbis commoda promptū,
Pacis

Pacis amatorem, defensoremq; salutis,
Cultorem legum, libertatisq; patronum,
Et patrem patriæ, neq; se diffidere, ciues
Dicto parentes, fidosq; proinde futuros.
Sic ait, & iurisiurandi verba præiuit,
Quæ simul ac digitis compromisereluat,
Vouerunt fidosq; animos, operamq; fidelem.
Hinc princeps, reliquiq; Duces, comitante senatu,
Consilij ascendere domum, dulciq; refecti
Nectare & Ambrosia, conscensis ritè caballis,
Celsa cathedralis repetunt capitolia sedis.
Nec mora, certatim largissima munera mittunt,
Parthenope, & reliquæ Ducis ex ditionibus vrbes.
Inde repurgatis agitant conuiuia tectis,
Cum Ducibus Comites, procuresq;, omnisq; senatus,
Craterasq; hilares statuunt, & vina coronant.
In circumq; iubent ire atq; redire Lyæum,
Proq; salute Ducis, data pocla recentia læti
Euacuant, faustumq; bonis successibus optant
Euentum, & largam Friderici ad nomina pacem.
Cumq; die sancti nouus hic ingressus Amandi
Cœperit, atq; suis, si vera fatebimur, insint
Omina nominibus, linguisq; animisq; precantur,
Vnanimes adeo vt viuant cum principe ciues,
Quò metui haud tantum princeps, sed possit amari
Omnibus, ac cunctis vt ametur, amabilis extet,
Quæq; dedit tantis lux prima exordia cœptis,

Omne

Omne cupidineo sit Amanda favore per æuum.

Talibus auspicijs sunt pacta recentia primùm
Confirmata. Deus, qui sceptrâ tuetur & vrbes,
Illa beata Duci, populisq; beata receptis
Esse velit, nostrosq; horum meminisse minores.
Soli cui sit laus & honor, sit gloria soli.

O M E N.

Principis aduentu, cœlum sine nube serenum
Fulsit, & à ventis lux ea tuta fuit.

Cum quoq; curarum post præstita homagia sedem,
Deseruit princeps, reppetijtq; forum:

DA PACEM, automati sonuerunt cymbala, pacis,
Pacis amatori dona precando Duci.

Quamq; diu est princeps iurante moratus in vrbe,
Tempora pacato clara fuere polo.

Sed simul ac alias hinc se conuertit ad oras,
Actutum pluuijs decidit imber aquis,

Mutuaq; AEolij subiere in prælia fratres,
Turbauitq; feris aëra Turbo Notis.

Omen inest factò: præsentè hoc principe in vrbe
Parthenope, innuitur cuncta quieta fore.

Victurosq; suo concordès principe ciues,
Ne turbæ hîc habeant, vt neq; Turbo, locum.

Sed resonent suauem, sonuère vt cymbala, pacem,
Desertis curis, curia & Aula, malis.


O felix faustumq; nouum mortalibus omen,
Quod Deus huic vrbi, quod dat & ipse Duci.

F I N I S.



VD16





P O M P A
S P L E N D I D I S S I M I
I N V E T E R E M V R B E M
M A G D E B U R G A M
I N G R E S S V S .

I L L V S T R I S S I M I
P R I N C I P I S A C D . D . D .
I O A C H I M I F R I D E R I C I , P R I M A T V S G E R -
M A N I A E , E T A R C H I E P I S C O P A T V S M A G -
d e b u r g e n s i s A d m i n i s t r a t o r i s p o s t u l a t i & c . P r i n -
c i p i s c l e m e n t i s s i m i & c . C a r m i n e
d e s c r i p t a

à

